DE

CLEONIS APUD ARISTOPHANEM PERSONA.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS WAEHDEL

GRYPHISWALDENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLVIII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

PATRI OPTIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

„Vix unquam fieri potuisse arbitrari licet, ut ad furores civiles adduceretur aut populus aut populi senatus, aut factio perniciosissima omnis publicae salutis expultrix, provinciarum urbiumque vastatrix, nisi oratione in publicis concessibus exponi animorum judicia coepissent; non enim putandum est, necessario haec quae male cesserunt ita evenisse, nec aliter evenire potuisse, aut eodem semper similes conatus exituros esse aut exire debere. Prolusum fuerat hoc perorandi genere, pessimo utique exemplo, in coitionibus, sodalitiis et hetaeriis, perniciosissimo instituto, cui in omni civitate diligenter ac severe est occurrendum, id quod Romani bene perspectum habuerunt, quibus nihil magis curae fuit, quam videre, in civitate coetus et conventus ne fierent. In hac enim tamquam palaestra turbulentissima ingenia se experiuntur et acuunt, mutuo quasi attritu elisis scintillis animi inflammantur, et ad populi conciones et senatus consilia fomes factionis traducitur. In publicis itaque concessibus primo prudentissimus quisque, si dicendi facultate et usu erat destitutus, negligi et a rerum actu excludi, contra in suggestum escendere, moxque (quod in populo ad vanitatem et ostentationem composito et lingua promto multo magis praevideri poterat) in eo regnare disertissimus quisque, postea et improbissimus; tum vero, quod omnium perniciosissime institutum fuit, plebe ad audiendum admissa, sublata erat jam tum libertas, actumque de republica; patefacta sic via ad admittendum omne licentiae et corruptelae genus, sive dicentibus, sive audientibus; his plaudentibus, illis plebi pal-

pantibus. Nunc non, quae probarentur melioribus, sed quae deterioribus placerent, referri, decerni; boni viri aut sequi popularem licentiam, non ducere voluntates, aut metu, terroribus, vi, de suggestu fugari; ita omnis respublica tandem in perditissimae factionis manus pervenire, sceleribus, facinoribus, furoribus misceri omnia, ipsa factio caedibus et vinculis in suarum partium homines saevire, deteriores in dies deterioribus loco cedere, summum tandem locum occupantibus iis, qui ex infimis vitae fortunaeque sordibus progressi nulla rerum gerendarum scientia et usu instructi, at audacia, temeritate, scelere alios essent antegressi, lingua tamen promti, criminosi, vociferatores, veteratores. Manavit inde corruptela in urbem, in populum, in ipsam sermonis et linguae indolem, exortum genus dicendi pro amplo, sublato et splendido inflatum et tumidum, pro eleganti calamistris inustum et ineptum, pro concitato et vehemente furiosum et fanaticum, idemque horridum, solutum, infuscatum, quod ingenuus quisque respuat et fastidiat, moribus tamen ingeniisque istorum hominum, qui dicunt et qui applaudunt, consentaneum". Sunt haec verba Heynii[1]) digna mihi visa, quae scriptioni meae de Cleone praescriberem, quia ostendunt, quam multis et magnis malis Atheniensium respublica afflicta fuerit eo tempore, quo Cleoni ejusque generis hominibus summa potestas rerum gerendarum tradita fuit.

Sunt quidem permulti, qui jam de Cleone scripserunt, aut obiter dataque quadam occasione aut propositum aliquod eo persequentes; attamen hi viri aut propositum suum non absolvisse[2]) mihi videntur, aut ea, quae de Cleone

---

1) in dissertatione, quae inscribitur: Libertatis et aequalitatis civilis in Atheniensium republica delineatio ex Aristophane, in ejus Opusc. academ. Tom. IV, p. 392 sqq.

2) Kortüm, der Demagog Kleon, in den philologisch. Beitr. aus der Schweiz, herausgeg. v. Bremi u. Doederlein. B. I, p. 35. Passow in s. vermischten Schriften p. 111 sqq.: „Zur Geschichte der Demagogie in Griechenland".

scripta sunt, non satis clare naturam ejus ostendere, quia iidem viri non omnes quaestiones una tractarunt, sed eas tantum, quae ad rem, de qua scripserunt, melius intelligendam pertinerent, quos viros omnes hic enumerare longum est. Quae quum ita sint, non ineptum mihi videtur esse, quaestiones ad Cleonem spectantes denuo sub judicium vocare, ostendere, quam sententiam hi inter viros doctos, quam sententiam alii secuti sint, denique causas accuratius paullo afferre, quibus motus equidem hanc vel alteram probaverim. Priusquam autem ad ipsas quaestiones disquirendas accedam, non alienum mihi videtur esse, pauca praemittere de republica Atheniensium, qualis Periclis temporibus fuerit, et inquirere, qui factum sit, ut Atheniensium populus Cleonem ducem sequeretur, quamquam ante hunc Pericles tam excellens vir reipublicae praefuit.

Ex quo igitur tempore Pericles rempublicam Atheniensium regere coepit, prorsus opulenti atque divites potentia sua privati sunt; victoria enim apud Salamina reportata populus Atheniensis intellexit, se classe maximum valere, quam ob rem statuerunt, Graecos illos, qui in insulis et Asiae minoris oris habitabant, a Persarum imperio liberare, eaque causa moti foedus cum illis pepigerunt. Mox autem factum est, ut principatum de insularum incolis acciperent, quo principatu paullo post ita sunt usi, ut magis domini quam socii illorum esse viderentur. Socii enim, quibus molestum erat, ad bellum quodque auxilia et classem mittere, praetulerunt, pecuniam solvere, pro qua Athenienses socios in bellis adjuturi essent. In ditionem deinde Athenienses redegerunt Thasios, Naxios, Aeginetas, alios, ita ut mox pauci essent, qui classe aliquid valerent, qua ex re fructum quidem non parvum ceperunt Athenienses, sed etiam non minus detrimentum. Facile enim intelligitur, plebem tali modo multo quidem facilius sibi divitias parasse, patriae autem amorem maxime omisisse; accedit deinde, quod, ex quo tempore Athenienses rei navali operam navarunt, saepe conveniebant cum Graecis Asiae minoris et

Persis, qui mollissimi Atheniensibus quoque mollitiei cupidinem paraverunt. Quali modo Atheniensium cum imperio dilatato petulantia atque levitas aucta est.

Quae mala Pericles non modo non removere studuit, sed auxit ea perniciosum publicarum - largitionum morem invehens [1]); ac primum quidem judiciorum merces introducta, mox etiam comitiorum, mox ita aucta, ut jam plurimi facilem judiciorum comitiorumque quaestum ingrato labori anteferrent; deinde etiam pecunia ad festos dies celebrandos (*θεωρικόν*) dabatur; sed paullo accuratius hac de re loquamur. Quamquam, quod ad rempublicam gerendam pertinet, cives fere pares erant idemque valebant, tamen alii divites alii tenues Athenis erant, id quod dissensionem quandam procreavit, quam ut removeret, Pericles maximo opere studuit; vel ut ita dicam, omnes artes, quibus usus est, hoc unum voluerunt, ut etiam pauperrimi cives ad rempublicam gerendam et administrandam accedere possent. Quum autem nullo alio modo hoc fieri posse Pericles intellexisset, multas artes adhibuit, ut ex publico aerario populo pecunia daretur, quam ob causam etiam Areopagi, qui certe democratiae non favebat, auctoritas imminuta ac paene sublata est [2]). Ut jam dixi, Pericles mercedem judicialem, concionalem et pecuniam spectaculis adeundis populo comparavit, qua re Periclem quidem facilius consecutum esse quae voluerit elucet; sed valde eo reipublicae nocuisse constat. Nam ante omnia hoc tenendum est, Athenienses quamvis leves et ut Aristophanis verbo utar *μετάβουλοι* essent, tamen maxime mercede judiciali impulsos esse, ut lites inferrent, atque is summis efferebatur laudibus, qui alterum damno inferendo praevertebat et nihil de malo cogitantem provocabat. Optimus quisque et ditissimus in judicium traheba-

1) cf. Schömann, Ant. jur. publ. Graec. p. 180. 309. et Griech. Alterth. I, p. 342 sqq.

2) cf. Schöm., Griech. Alterth. I, p. 343. et Verfassungsgeschichte Athens p. 77.

tur et condemnabatur; nam improbi accusatores et sycophantae minitabantur judicibus, nisi vel inviti reum condemnarent, mercedis jacturam rerumque necessariarum inopiam, cf. Arist. Equit. v. 1363:

ἐάν τις εἴπῃ βωμολόχος ξυνήγορος·
οὐκ ἔστιν ὑμῖν τοῖς δικασταῖς ἄλφιτα,
εἰ μὴ καταγνώσεσθε ταύτην τὴν δίκην.

Quo modo facillime fieri potuit, ut innocentes condemnarentur, quod ut Atheniensibus ostenderet accuratissime Aristophanes fabulam Vespas docuit, in qua (v. 88) servum Aristophanes de domino suo Philocleone dicentem facit haec:

φιληλιαστής ἐστιν ὡς οὐδεὶς ἀνήρ,
ἐρᾷ τε τούτου τοῦ δικάζειν, καὶ στένει,
ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου,

qua in fabula deinde (v. 197) judices, quum Philocleo a filio captus et quominus ad judicium iret impeditus est, a Cleone petunt auxilium his verbis: *ὦ ξυνδικασταὶ καὶ Κλέων, ἀμύνατε,* ad quem locum Berglerus comparandum jubet ex Equitt. v. 255, ubi Cleo ipse haec dicit:

ὦ γέροντες ἡλιασταί, φράτορες τριωβόλου,
οὓς ἐγὼ βόσκω κεκραγὼς καὶ δίκαια κἄδικα,
παραβοηθεῖθ', ὡς ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν·

Sed haec hactenus [1]). Damnum aeque magnum respublica contraxit ex mercede comitiorum adeundorum (*μισθὸς ἐκκλησιαστικός*), quam idem Pericles instituisse videtur, ut pauperes ad leges suas probandas in ecclesiam alliceret. Illam pecuniam autem, quam Pericles spectaculis adeundis paravit, qui post eum fuerunt demagogi, veluti Eubulus, non solum hujus rei causa, sed aliis etiam rebus levissimis tractandis pendi curarunt civibus, ita ut viginti

---

1) cf. Bergk, de reliq. att. comoed. p. 139. Videtur etiam Cratinus in fabula quae inscribitur Leges, nimiam illam judicandi libidinem, quam Pericles primus excitaverat, attigisse, quorsum spectat id quod est apud Schol. Arist. Equitt. v. 1147: *Κημὸς ὁ ἐπὶ τοῦ καδίσκου, εἰς ὃν τὰς ψήφους καθίεσαν ἐν τοῖς δικαστηρίοις. Κρατῖνος δὲ αὐτὸν ἐν Νόμοις σχοίνινον ἠθμὸν καλεῖ.*

quinque ad triginta talenta hac re quotannis consumerentur [1]). Qua quum ratione facillime cives pecuniam sibi pararent, intelligitur, eos militiam detrectasse atque bella gerenda militibus mercenariis permisisse, qui Atheniensium sociis pecuniam irrogarunt, quum aerarium pecunia egeret.

De sociis, qui Atheniensibus tributa ad bella gerenda dederunt, eorumque periculo jam antea dixi [2]), ex quibus tributis tam magna pecunia Athenas coacta est, ut Pericles illa speciosa atque excellentia aedificia exstruere potuerit. Qua cum ratione conjungendum est, quod Pericles alio quoque modo civibus, qui exiguos aut nullos agros possidebant, pecuniam comparare studuit, eo nimirum, quod iis sociorum agros possidendos assignavit (*κληρουχίαν*), quam ob rem alii cives ipsi in terras peregrinas profecti sunt, ut ibi quasi custodes sociorum fidem servarent, alii, quibus agri traditi erant, Athenis remanserunt, postquam is, cujus ager antea fuerat, usuras iis promisit. Quo modo Pericles ex urbe plebem pauperem removit, aut si remanserunt, ditiores redditi sunt pauperes.

Sic factum est, ut pauperes sensim pedetentimque optimates removerent a republica administranda, ut in concionibus is maximum valeret, qui eloquentia excelleret; nam eloquentia Atheniensibus maxime placuit, et rectissime Bormannus [3]) haec de ea habet: „eloquentia, cujus usus in statu populari longe lateque patet, malorum civium certissimum est ad rempublicam turbandam praesidium, neque quidquam eloquentia perniciosius cogitari potest, si mali cives in republica administranda ea valent,

---

1) cf. Voswinkel, de Cleone demagogo (Bonn 1847) p. 4. cf. Schoem. antiquit. jur. publ. p. 309 sqq.

2) cf. Theod. Bergkium in Meinekii hist. crit. comic. graecor. Vol. II, 2. p. 971 et 975, ubi docet, Aristophanem socios vectigales in fabula Babyloniorum exhibuisse et ostendisse, quantopere a viris popularibus vexati sint.

3) Bormann, Quibus potissimum rebus factum sit, ut Pericle mortuo Athenis omnia nutu et arbitrio demagogorum gubernarentur. Progr. Halberstadt. 1841. p. 2. cf. Bergk. reliqu. p. 137.

quae a gravissimis auctoribus regina omnium rerum vocatur, quae quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos quibusdam velut habenis regit, quae consolatur maerentes, afflictos excitat, jacentes erigit, quae ut si optimus quisque eam habet, sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, sic, si mali homines ea utuntur, bonis affert exitium, nocentissimis salutem, optimis incutit timorem et terrorem, perspicue veris fidem detrahit, incredibilibus probabilitatem conciliat.“ Aristophanes quoque Cleonem similia loquentem facit in Equitt. (v. 256): *οὓς ἐγὼ βόσκω κεκραγὼς καὶ δίκαια κἄδικα.* Sic eloquentia usus Cleo minime verecundatus est, ne invidae plebis suspicione ad opulentissimorum calumniam abuteretur; sic in concione omnes leges, quas tulit, pertulit; sic Niciam vicit, qui minime eloquentia pollebat; sic demagogi eloquentia sua omnia Atheniensium rexerunt. Is, qui hoc tempore eloquens non erat, a republica administranda abesse debuit; nam fortitudo non magni aestimabatur, etiam justitia, innocentia, abstinentia nihili erant. Quam ob causam etiam optimates studuerunt, ut liberi melius erudirentur, quod ut iis eveniret, sophistis sunt usi, quorum scholas etiam juvenes quin viri confirmata jam aetate frequentabant.

Haec jam multa erant, quae efficerent, ut populus deterior redditus esset; sed alia etiam accesserunt, quae non minus magni momenti in disquirendis his rebus sunt. Pericle enim duobus postremis annis gubernacula tenente duae res exortae sunt, quibus populus magis magisque degeneravit, agricolarum inquam confluxum in urbem et deinde pestem. Ut enim agricolae ab impetibus hostium tuti essent, in urbem recesserant cum conjugibus, liberis omnibusque suis; in urbe, ubi munera sua perficere non poterant, ubi valde dolebant, quod patria domus vastaretur, quod religio deorum non servata esset, ubi plerumque sine tecto, sine domo erant, ubi illis voluptatibus de-

licatis atque mollibus, quibus Atheniensium populus valde gaudebat, non fruebantur, mox otio atque moerore affecti sunt, id quod bene Aristophanes in Acharnensibus (v. 29) sic explicat:

κἆτ' ἐπειδὰν ὦ μόνος,
στένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι,
ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι,
ἀποβλέπων εἰς τὸν ἀγρὸν, εἰρήνης ἐρῶν,
στυγῶν μὲν ἄστυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν,
ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν, ἄνθρακας πρίω,
οὐκ ὄξος, οὐκ ἔλαιον, οὐδ' ᾔδει πρίω,
ἀλλ' αὐτὸς ἔφερε πάντα χὠ πρίων ἀπῆν.

Alterum malum, quod inde ortum, pestis erat, qua oppressi multi homines mortui sunt, de qua recte Thucydides (II, 53, 1) haec habet: *πρῶτόν τε ἦρξε καὶ εἰς τἆλλα τῇ πόλει ἐπὶ πλέον ἀνομίας τὸ νόσημα*, quae ideo Atheniensibus tantum periculum injecit, quia omnia vincula, quibus populus adhuc coercitus erat, solvebantur, quia omnes putabant, se spatio brevi temporis, quod sibi datum esset, etiam frui debere, et propterea multa facinora commiserunt. Accedit, quod Pericles quoque hoc tempore de vita decessit, maximum sane malum Atheniensium reipublicae; nam postremum ipsum Peloponnesiaci belli tempus ostenderat, quantum Pericles valeret in populo, quantopere populus Periclis imperii indigeret: inter omnes constare videtur, si Pericles inter vivos remansisset et Atheniensium rempublicam regere perrexisset, populum tum non tantopere degenerasse, quum nequaquam sordidus vulgi assentator, sed potius ejus inconstantiae et timiditatis castigator fuisset. Pericles populo quidem permagnas voluptates comparaverat, cupiditates ei inflammaverat, sed populum etiam rexerat eumque coercuerat; demagogis autem eis, qui ei successerunt, illae Periclis virtutes minime inerant; hi potius studuerunt, populum quam maxime fallere et nulli alii commoda atque divitias comparare nisi sibi ipsis, ita ut rectissime Thucydides (II, 65, 6), postquam Periclis

imperium laudavit, sic pergat: *οἱ δὲ ὕστερον ἴσοι αὐτοὶ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους ὄντες καὶ ὀρεγόμενοι τοῦ πρῶτος ἕκαστος γίγνεσθαι ἐτράποντο καθ' ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐνδιδόναι.*

Quum jam Pericles mortuus esset, alii ad rempublicam administrandam aggredi studuerunt, inter quos praeter Cleonem erant Eucrates*, stupearum vestium venditor molamque frumentariam possidens, et Lysicles, ovium venditor, qui eo quod Aspasia, Periclis vidua, ei nupsit, magnam sibi factionem parasse videtur, quos ambo Cleo a foro cedere coegit: de quibus duobus demagogis loquitur Aristophanes in Equitibus (v. 128), ubi Nicias Cleoni oracula sumpsit, haec:

ΔΗΜ. ὁ χρησμὸς ἄντικρυς λέγει
ὡς πρῶτα μὲν στυππειοπώλης γίγνεται,
ὃς πρῶτος ἕξει τῆς πόλεως τὰ πράγματα.
ΝΙΚ. εἷς οὑτοσὶ πώλης· τί τοὐντεῦθεν; λέγε.
Δ. μετὰ τοῦτον αὖθις προβατοπώλης δεύτερος.
Ν. δύο τώδε πώλα· καὶ τί τόνδε χρὴ παθεῖν;
Δ. κρατεῖν, ἕως ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος
αὐτοῦ γένοιτο· μετὰ δὲ ταῦτ' ἀπόλλυται.
ἐπιγίγνεται γὰρ βυρσοπώλης ὁ Παφλαγών,
ἅρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων·

quem ad locum scholia comparanda sunt, quae alterum demagogum Eucratem, alterum Calliam sive potius Lysiclem vocant. Quos quum adversarios Cleo removisset, ipse rerum Atheniensium potitus est.

De Cleonis ortu non satis omnia liquida sunt, nam schol. ad Arist. Equit. v. 44 haec habet: *βυρσοδέψην Παφλαγόνα· ἐπειδὴ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Κλεώνυμος ἐργαστήριον δούλων βυρσοδεψῶν. ἄλλως τε καὶ τὴν εὐτέλειαν δείκνυσι τοῦ Κλέωνος, ἀφ' οἵας τύχης ὁρμώμενος ἐπρώτευσε τῶν Ἀθηναίων. ἐπειδὴ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Κλεώνυμος ἐργαστήριον εἶχε δούλων βυρσοδεψῶν.* Cleonymum igitur scholiastes Cleonis patrem fuisse narrat, Thucydides (III, 36, 5) autem eum Cleaenetum nominat, cui plus fidei dandum esse videtur et ab

omnibus datum est. Statim ab initio de sententia nonnullorum virorum doctorum [1]) mihi loquendum videtur, secundum quam Cleo non Atheniensis civis fuerit, sed peregrinus quidam, qui in civium numerum postea accitus sit. Secuti sunt hi viri docti scholiastam ad Arist. Equitt. v. 2, qui ad sensum verbi *Παφλαγών* explicandum praeter alia haec disputat: *Παφλαγόνα δὲ τὸν Κλέωνα διὰ τὸ τῆς φωνῆς ἀπηχὲς ἀπὸ τοῦ παφλάζειν ὠνόμασεν. ἔφην γὰρ ὅτι ξένος ὢν ἐπολιτεύσατο. ὀνειδίζει οὖν αὐτὸν ὡς ξένον καὶ βάρβαρον.* Berglerus ex Aristophanis verbis in Vespis (v. 1220):

οἱ δὲ σύμποται
εἰσὶν Θέωρος, Αἰσχίνης, Φανὸς, Κλέων,
ξένος τις ἕτερος πρὸς κεφαλῆς Ἀκέστορος,

quia verbo *Κλέων* additur *ξένος τις ἕτερος*, et secutus verba scholiastae jam allata hoc concludit: „Aristophanes Cleonem saepe Paphlagonem vocat, quod puto fieri non tantum respectu etymologiae nominis a *παφλαγών*, a *παφλάζω*, *cum fremitu ebullio* significantis, sed etiam quia re vera esset ex Paphlagonia oriundus, aut alias peregrinus et barbarus notione". Quae sententia mihi minime placet, quum recte Leutschius [2]) animadvertat, Thucydidem de peregrinitate Cleaeneti nihil addidisse, nomina deinde utriusque minime peregrinorum sed Atheniensium propria esse, patrem, id quod recte jam scholiastes attulit, ergastulum possedisse, quod peregrino certe non licuit, Aristophanem denique ipsum nullo modo dixisse, Cleonem re vera peregrinum esse, id quod certe non omisisset, si res sese sic habuisset, quamquam saepius occasio data erat, veluti in Equitt. (v. 450), ubi Agoracritus de Cleonis avo, non autem de ejus peregrinitate loquitur, Aristophanem potius ipsum in Equitt. (v. 335) afferre, Cleonem si non ortum ex optimatibus tamen non ex plebe infima esse, cui ex-

1) Wendt, Pericles u. Cleon. (Ein Beitrag zu der politischen Entwicklungsgeschichte Athens.) Posen 1836. Progr. p. 41. Kortüm. l. l. I, p. 39. Passow, l. l. p. 122. Voswinkel, l. l. p. 9. Beck, ad Equitt. v. 2.

2) v. Leutsch in Schneidewin. Philolog. I, p. 466.

plicationi Droysenius (Uebers. des Arist. Bd. II, p. 287) assentiri videtur. Accedit deinde, quod Cleo adscriptus fuit φυλῇ Πανδιονίδι, δήμῳ Κυδαθηναίῳ, qua de re etiam Arist. in Vespis (v. 894) loquitur:

Ἀκούετ' ἤδη τῆς γραφῆς· ἐγράψατο
Κύων Κυδαθηναιεὺς Λάβητ' Αἰξωνέα,
Τὸν τυρὸν ἀδικεῖν ὅτι μόνος κατήσθιεν
Τὸν Σικελικόν· τίμημα κλῳὸς σύκινον.

quae verba certe de Cleonis atque Lachetis lite accipienda sunt, quia in Vespis (v. 240) de hac lite agitur et judices narrant, se a Cleone ad judicium contra Lachetem propter Siciliensem expeditionem vocatos esse. Constare mihi igitur videtur, Cleonem re vera Atheniensem civem fuisse; num autem scholiastes [1]), qui affert, Cleonem in numero equitum fuisse, recte contenderit, dubitandum videtur. Quamquam igitur Cleo non ex infima plebe ortus esse videtur, tamen Aristophanes eum saepius castigat, quia ei deerat humanitas atque cultus, quo excellebant Graeci prae barbaris, eo quod in Equitt. (v. 985) improbat ὑομουσίαν; certe ad Cleonem quoque pertinet, quod in Equitt. (v. 191) Demosthenem poeta haec loquentem facit:

ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ·
ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους,
ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν.

Jam Pericle vivo Cleo tentavit ad rempublicam administrandam adire, eo quod ipsum Periclem vituperavit, qui oratione quidem instigaverit Atheniensium animos, ipsam autem pugnam reformidet atque pacem cupiat. Fuit enim primo belli Peloponnesiaci anno, quo Pericles populum, qui et ipse proelium valde desiderabat et Lacedaemoniorum incursionibus et terrarum depopulatione valde iratus pugnare cupiebat, retinebat, qua de re Plutarchus (Vit. Pericl. c. 33) bene sic loquitur: ἐπεφύετο δὲ καὶ Κλέων ἤδη

---

1) Schol. ad Equitt. v. 225, de qua annotatione laudanda est C. Fr. Hermanni disputatio de equitibus Atticis (Marb. 1835) p. 4.

διὰ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ὀργῆς τῶν πολιτῶν πορευόμενος ἐπὶ τὴν δημαγωγίαν, ὡς τἀνάπαισια ταῦτα δηλοποιεῖ τὰ Ἑρμίππου·

Βασιλεῦ Σατύρων, τί ποτ' οὐκ ἐθέλεις
δόρυ βαστάζειν, ἀλλὰ λόγους μὲν
περὶ τοῦ πολέμου δεινοὺς παρέχει,
ψυχὴν δὲ Τέλητος ὑπέστης,
κἀγχειριδίου δ' ἀκόνῃ σκληρᾷ
παραθηγομένης βρύχεις κοπίδος
δηχθεὶς αἴθωνι Κλέωνι.

Quos Hermippi versus ad ejus fabulam *Μοῖραι* pertinere constat, hujusque fabulae consilium maxime in bello contra Lacedaemonios commendando positum fuisse, recte jam Meinekius et Bergkius [1]) monuerunt. Latine hos versus reddidit Grotius, Excerpt. p. 524, sic:

Cur, rex Satyrum, non libet hastam
gestare tibi, sed magnificum
de Marte satis tua verba crepant,
at cor tibi, quale Taletis,
gladiique tui, quae modo dura
cote subacta est, acies languet
subito mordente Cleone.

Pulchre Meinekius (l. l.) comparat Thucydidis (II, 21) verba haec: *Παντὶ δὲ τρόπῳ ἡ πόλις καὶ τὸν Περικλέα ἐν ὀργῇ εἶχον, καὶ ὧν παρῄνεσε πρότερον ἐμέμνηντο οὐδὲν, ἀλλ' ἐκάκιζον ὅτι στρατηγὸς ὢν οὐκ ἐπεξάγοι.* Neque hoc loco praetereundum est, Hermippi versus propterea a nobis maxime respiciendos esse, quia quos mores illo jam tempore Cleo ostenderit, intelligimus. Pericli valde infensus fuisse Cleo videtur, quum Plutarchus narret, etiam in alia quadam

---

1) Meinekius, fragm. comic. Bd. I, p. 91 et Bd. II, p. 395. Bergkius, de rel. etc. p. 320, qui ex eodem Hermippi carmine complures versus affert, quos ex oratione petitos esse censet, in qua poeta graviter increpat otium et securitatem Periclis: Pericli enim videtur chorus proponere imaginem alacritatis atque studii bellandi, quo tunc universa Atheniensium civitas flagrabat.

causa Cleonem accusatorem ejus exstitisse; Cleonis autem invidiam nihil Pericli nocuisse, ex eo apparet, quod Pericles mox dux creatus est. Quum igitur Cleo intelligeret, Periclem a populo vehementius amatum esse, quam ut puniretur, alio modo ei insidiari coepit; Diopeithes [1]) enim eo tempore legem de mysteriis non profanandis scripsisse atque ei qui legem violasset extremum supplicium proposuisse videtur; usus igitur est Cleo hac lege, ut Anaxagoram, Periclis familiarem, in judicium vocaret, id quod Sotio tradidit apud Diogenem Laertium (II, 12): *Σωτίων μὲν γάρ φησιν ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων ὑπὸ Κλέωνος αὐτὸν ἀσεβείας κριθῆναι διότι τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγε διάπυρον.* Dum autem Pericles in vivis erat, Cleoni potestatem assequi non evenit, post ejus mortem, ut jam dixi, adversariis Eucrate et Lysicle remotis reipublicae praeesse coepit et per septem annos (ab anno 429 usque ad annum 422) rempublicam administravit, id quod schol. Lucian. [2]) Tom. I, p. 155 ed. Lehm. affert his verbis: *Ὁ δὲ Κλέων δημαγωγὸς ἦν Ἀθηναίων, προστὰς αὐτῶν ἑπτὰ ἔτη,* igitur inde ab Ol. 88, 1—89, 3, vel quum falso diceret *ἐτελεύτα ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου*, finxit ab Ol. 87, 4—89, 2.

A Thucydide Cleo primum (III, 36) commemoratur, ubi de Mitylenaeis eorumque poena agitur Lesbii enim, quum viderent, Athenienses contra socios superbiam nimiam agere, id quod permagnum timorem iis injecit, jam diu ab illis deficere paraverant, non autem defecerunt, quia Lacedaemonii societatem hanc recusaverant; sola Methymna urbs in Atheniensium fide manserat. Quum autem anno 428 paene exeunte ab Atheniensium duce Cleippide mari circumcluderentur, et a Pachete etiam terra obsiderentur, Lacedaemonii iis auxilia miserunt; priusquam autem haec advenerunt, Paches jam insulam Lesbum ceperat et Mitylenaeos mille obsides Athenas miserat. Jam ex Athe-

---

1) cf. Bergk, de rel. p. 171.

2) cf. Fritzsche, quaest. Aristoph. T. I, p. 302.

niensibus pendebat, Mitylenaeos punire, quam ob rem Paches his permisit, legatos Athenas mittere, qui leniorem poenam peterent. Athenienses valde irati erant Mitylenaeis, non solum quia eos minime presserant, sed etiam quia intelligebant, illos jam dudum rebus novis studuisse; atque sic facile factum est, ut Cleo Atheniensibus persuaderet, ut omnes Mitylenaei occiderentur neque feminis neque liberis parceretur. Plebiscitum, ut Diodorus Siculus (XII, cap. 55) et Thucydides (III, 49) narrant, jam Pacheti per triremem missum erat, et omnia absoluta esse videbantur, quum cives nobilissimos et humanissimos facinoris sui poeniteret, quam rem quum Mitylenaei legati animadverterent, statim denuo precibus eos adierunt, unde factum est, ut in concione iterum res ageretur. Hic, ut jam dixi, Thucydides Cleonis primum mentionem facit his verbis: *Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ὅσπερ καὶ τὴν προτέραν ἐνενικήκει, ὥστε ἀποκτεῖναι, ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος, παρελθὼν αὖθις ἔλεγε τοιάδε.*

De hac Cleonis certe foeda oratione jam Wendtius (l. l. p. 23 – 26) et Voswinkelius (l. l. p. 13—20) eleganter disputarunt, praecipue hic, qui ostendit, quam fallaciter et callide sese gesserit, ut populo denuo persuaderet, Mitylenaeis minime esse parcendum. Passovius (l. l. p. 124, not. 4) dicit, sibi quidem persuasum esse, Thucydidem non ipsius Cleonis orationem memoriae prodidisse, sed quia haec Cleonis oratio mirum quantum differat ab omnibus, quas Thucydides ab aliis oratoribus habitas affert, putat Passovius, Thucydidem nobis accuratissimam Cleonis vel potius omnium demagogorum imaginem praebere voluisse, quae sententia mihi prorsus placet. Rankius [1]) putat, Cleonis orationem ita comparatam esse, ut nisi potentissimus plebique acceptissimus ille fuisset, in maxima sese conje-

1) Rankius, Vita Aristophanis in editione Aristophanis Plut. curata a Bernh. Thierschio p. 394.

cisset pericula, quam sententiam praecipue initio orationis defendi dicit, quam ob causam, ut ipsi rem accuratius cognoscamus, orationem, quamvis leviter, perspiciamus. Primum igitur Cleo dicit, se denuo intelligere, democratiam ad imperium de aliis exercendum minime valere, praecipue quia plebiscitum de Mitylenaeis, quod jam ut perficeretur, duci ad Lesbum missum sit, nunc jam in eo sit ut mutetur; nihil putat magis reipublicae nocere hac levitate, hac mutandi cupiditate, propter quas Athenienses valde vituperat. Permulta mala liberis civitatibus inde nasci dicit, quod unusquisque, sive sapiens sit sive stultus, sive malus sive bonus, quaecunque haberet, in concionibus in medium proferret, quo saepissime fieret, ut pessima consilia populo placerent, optima respuerentur. Tum ostendit, Athenienses tyrannidem quandam obtinere de insidiatoribus iisque invitis ferentibus imperium; putat deinde, civitates eas, in quibus pejores quidem leges adhibeantur, sed immotae, multum quod ad rem publicam gerendam pertineat iis praevalere, quae melioribus quidem legibus utantur sed eas non stabiliverint. Deinde, antequam quis contra illum sententiam dixerit, Cleo maligne in eum, qui deinde verba faciat, invehitur et tentat eo quod illum vituperet, sibi ipsi auditorum animos comparare illique omnem spem praecidere. Dicit enim, illum, qui contra ipsum loqui velit, demonstrare debere, Mitylenaeorum injurias Atheniensibus commodum afferre, Atheniensium autem calumnias sociis damno esse. Quum hoc autem ostendi non possit, oratorem aut sua dicendi facultate valde confidere debere aut a sociis corruptum esse; utut autem sit, semper talem Atheniensibus mala suasurum esse. Deinde Cleo Mitylenaeorum magnam culpam ostendit, quia lenius tractati quam alii socii tamen defecerint. Denique inclamat: „Castigantor igitur jam pro injuriae gravitate“, et legem fert, ut omnes Mitylenaei interficerentur et feminae liberique in servitutem venderentur.

Jam pridie Diodotus, filius Eucratis, quem Cleo a re-

publica administranda removerat, Mitylenaeorum causae patronus contra Cleonem locutus erat sed nihil perfecerat; quum autem civium animos magis mitigatos videret, in suggestum processit atque laudat, tam gravem causam denuo sub judicium vocatam esse. Orationibus enim, ait, de aliqua re homines semper docentur, qui contra hoc pugnant, aut insipientes esse aut suo commodo servire videntur; maxime periculosum est, adversarium castigare, tamquam pecunia corruptus sit; optimae leges non probantur, si orator corruptus esse videtur, eaque re reipublicae tantum suspicionis causa damnum affertur. Postquam hoc modo fortiter contra Cleonem pugnavit, evenit ei, ut tantum mille maxime rei Mitylenaei, quos Paches jam Athenas miserat, nece punirentur, Lesbos in cleruchias divideretur; hae autem cleruchiae ita dispositae sunt, ut cives agrum ipsum retinerent et Atheniensibus civibus quotannis vectigal duarum minarum darent; Methymna sola propter fidem Atheniensibus servatam non punita est. Aristophanes de hac re uno tantum loco loquitur, nimirum in Equitibus (v. 832), ubi Agoracritus et Cleo coram populo altercantur, his verbis:

καί σ᾽ ἐπιδείξω
μὴ τὴν Δήμητρ᾽, ἢ μὴ ζῴην,
δωροδοκήσαντ᾽ ἐκ Μυτιλήνης
πλεῖν ἢ μνᾶς τετταράκοντα·

quibus de verbis viri docti non inter sese consentiunt, Droysenius [1]) quidem, ut par est, quia Cleonem defendere studet, putat, hoc nihil esse nisi calumniationem, unde ostendere atque efficere vult, non licere nobis, omnibus omicorum verbis fidem dare. Roscherus [2]) autem contra Droysenium contendit, fieri potuisse, ut Cleo a Mitylenaeis corrumperetur, tunc enim illum, si consilium suum perfecisset, altera oratione habita effecisse, ut culpae suae socii

---

1) Droysen, Uebers. des Aristoph. Bd. II, p. 290.

2) Roscher, Leben, Werk und Zeitalter des Thucydides p. 411.

occiderentur, quae causa mihi non satis valida videtur esse, quam ob rem Droysenii sententiam sequi malim.

Cleonis auctoritas ex hoc tempore valde minuta esse videtur; nam recte Roscherus (l. l. p. 412) affert, optimates i. e. Niciam ejusque socios ad rempublicam administrandam tum accessisse; videmus Niciam ipsum expeditioni in Minoam praeesse, Nicostratum, qui Naupacto Corcyram auxilium tulit, modo Niciae modo Lachetis, qui ambo in optimatibus numerandi sunt, socium in bello gerendo nominari. Anno 426 duces erant creati: Nicias, Eurymedon, Hipponicus, Demosthenes, omnes Cleonis adversarii; accedit deinde, quod Aristophanes quoque in Acharnensium fabula, quae docta est anno 425 ineunte, multis locis Cleonem carpit, quod in versu quinto laudat, Cleonem quinque talenta evomere debuisse, quibus ab insulanis corruptus sit, quod in Equitibus autem, quam fabulam Aristophanes docuit a. 424, non ausus est, Cleonis ipsius nomen vocare, quamquam in hac fabula eum quam maxime vituperat atque perstringit.

Denuo autem Cleonis potestas crescere coepit, ex quo tempore Pylum cepit, quamquam haec res ei evenit Niciae ejusque sociorum culpa. Quum enim Athenienses Demosthene duce contra Corcyram insulam expeditionem facerent, ad Messeniae oram, ubi Pylus sita est, naves appulerunt, sive coacti tempestate, sive ducti Demosthenis suasu. Quum mox intelligerent, ex hoc loco facillime Lacedaemonios urgeri posse, quia Messenii semper parati erant, contra Lacedaemonios bellum genere, Pylum repente muniverunt. Quod quum Lacedaemonii sero animadvertissent, exercitum et classem miserunt, ut Athenienses includerent et castra vallaque delerent; quum autem maximum certe fructum sese inde capturos esse viderent, si Athenienses ex hoc loco plane ejicerentur, Sphacteriam insulam, quae Pylico portui praejacet, occuparunt militibus quadringentis viginti, qui paene omnes in nobilissimorum numero erant. Athenienses autem, quibus Athenis classis

missa est, hanc insulam incluserunt, qua re Lacedaemonii moti sunt, ut legatos Athenas mitterent, qui gravissimis Lacedaemoniis conditionibus pacem peterent, quum bene intelligerent, nullo alio modo Spartiatas servari posse, quam ob causam etiam Peloponnesiacorum sexaginta naves tradiderunt Atheniensibus, donec legati Athenas missi redituri essent. Inter Athenienses multi erant, qui pacem valde desiderarent, id quod Lacedaemonii speraverant, sed Cleo, quem Thucydides *ἄνδρα δημαγωγὸν κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα καὶ τῷ πλήθει πιθανώταιον* nominat, multitudini putanti, se quum res tales essent, quando sibi placeret, pacem icere posse, persuasit, ut Lacedaemoniis conditiones gravissimas proponerent, nempe captivos cum armis Athenas mitti, deinde urbes Nicaeam, Pagas, Troezenem, Achajam, quae loca Lacedaemonii non hoc bello sed prius jam ceperant, Atheniensibus tradi. Gravissimae sane hae conditiones erant, sed ex Thucydide facile intelligitur, Lacedaemonios eas accepisse, si iis licuisset, non coram populo agere sed cum paucis viris delectis; Cleo autem pacem recusavit et Atheniensibus persuasit, ut conditiones ab hostibus propositas rejicerent. Sed priusquam res gestas enarrare pergo, non ineptum esse puto, causas accuratius explicare, quibus Cleo motus pacem recusaverit. Demagogi enim, qui intellexerunt, a civibus, si bella contra hostes gererentur, non tam accurate ipsorum res perspici posse, semper denuo bella excitarunt; nam hoc modo ducum excellentium auctoritas, quae semper excellentibus viris esse solet, adhiberi non potuit; praeterea bellis rempublicam urgentibus res multae fieri potuerunt, quae in pace nullo modo fieri solent. Sic omnes demagogi se gesserunt, id quod, ut uno exemplo utar, etiam Plutarchus (Vit. Cimon. c. 19) ostendit: *Μετὰ δὲ τὴν Κίμωνος τελευτὴν πρὸς μὲν τοὺς βαρβάρους οὐδὲν ἔτι λαμπρὸν ὑπ᾽ οὐδενὸς ἐπράχθη στρατηγούντων Ἑλλήνων, ἀλλὰ τραπέντες ὑπὸ δημαγωγῶν καὶ πολεμοποιῶν ἐπ᾽ ἀλλήλους, οὐδενὸς τὰς χεῖρας ἐν μέσῳ διασχόντος, συνεῤῥάγησαν εἰς τὸν πόλεμον.* Ut autem Cleo om-

nibus talibus rebus sic etiam hac re demagogos superavit, neque immerito Aristophanes eum in Pace (v. 654)

κύκηθρον καὶ τάρακτρον

vocat, recteque in eadem fabula (v. 269) haec habet:

ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος
ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα,

quem locum schol. ita interpretatur: *Τοῦτο αἰνίττεται πρὸς τὸν Κλέωνα ὡς δὴ αἴτιον τοῦ πολέμου καὶ ὡς αὐτὸν συνέχοντα τὸν πόλεμον, ὡς καὶ Θουκυδίδης ἱστορεῖ.* Neque hoc loco est praetereundum id quod Thucydides (V, 16) de Brasida et Cleone loquitur, quamquam hoc ad tempus pertinet, de quo alio loco mihi dicendum erit. Causas igitur, propter quas uterque pacem componere noluisset, affert has: *„ὁ μὲν διὰ τὸ εὐτυχεῖν τε καὶ τιμᾶσθαι ἐκ τοῦ πολεμεῖν, ὁ δὲ γενομένης ἡσυχίας καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων.* Attuli jam hoc loco Thucydidis verba, quia egregie Cleonis naturam depingunt et quia optime Aristophanis verba cum iis comparanda sunt, ubi Agoracritus ex Cleone quaesiverat, cur bellum non finiret, et Cleoni dicenti (Equitt. v. 797):

ἵνα γ' Ἑλλήνων ἄρξῃ πάντων

respondet haec (Equitt. v. 801—4):

οὐχ ἵνα γ' ἄρχῃ μὰ Δί' Ἀρκαδίας προνοούμενος, ἀλλ' ἵνα μᾶλλον σὺ μὲν ἁρπάζῃς καὶ δωροδοκῇς παρὰ τῶν πόλεων· ὁ δὲ δῆμος ὑπὸ τοῦ πολέμου καὶ τῆς ὁμίχλης ἃ πανουργεῖς μὴ καθορᾷ σου ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης ἅμα καὶ χρείας καὶ μισθοῦ πρός σε κεχήνῃ.

Bormannus (l. l. p. 14), postquam Heynii verba de demagogis attulit, haec habet: „Attamen confitendum est, neque Atheniensium partem maximam neque demagogos bella contra Lacedaemonios gerenda tam cupide appetisse, nisi amore in democratiam summo inflammati totum statum civitatis in iis solis positum fuisse et defixum probe intellexissent“. Quamquam in eo cum Bormanno consentio, quod Droysenii (l. l. Bd. II, p. 285) verba laudans putat, omnes qui de historia Graeca vel cogitent vel scribant, animis suis considerare debere res, unde hoc vel alterum

ortum sit, tamen hoc mihi altius repetitum videtur esse. Nam omnia, quae demagogi, quae praecipue Cleo fecerat, omnia, inquam, talia sunt, ut luculenter ostendant, illos patriam parum amasse neque quidquam aliud petivisse, quam sibi ipsis in republica administranda potestatem atque pecunias comparare. Ut Cleonis mentionem faciam, fertur pauperrimus fuisse, quum rempublicam regere coepit; post mortem autem eum quinquaginta talenta reliquisse Aelianus (V. H. X, 17) refert, ita ut bene cum hac narratione conveniat, si Aristophanes illum multis locis propter hanc avaritiam vituperat, ut in Vespis (v. 35):

κἄπειτα τούτοις τοῖς προβάτοις μοὐδόκει
δημηγορεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια·

ut in Equitibus (v. 77):

τοσόνδε δ' αὐτοῦ βῆμα διαβεβηκότος
ὁ πρωκτός ἐστιν αὐτόχρημ' ἐν Χαόσι,
τὼ χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπιδῶν,

ut praecipue loco, qui omnium maxime memorabilis est, dico in Equitt. v. 280, ubi Agoracritus Cleonem hoc modo carpit:

καὶ μὰ Δία κἄγωγε τοῦτον (ἐνδείκνυμι) ὅτι κενῇ τῇ κοιλίᾳ
ἐςδραμὼν ἐς τὸ πρυτανεῖον εἶτα πάλιν ἐκθεῖ πλέᾳ,

quem ad locum schol. haec adscripsit: *ἔξεισι καὶ πορεύεται μεστῇ καὶ γεμούσῃ, τουτέστιν ἔξεισιν ἐκ τῆς πολιτείας γενόμενος πλούσιος. ταῦτα δ' εἶπεν, ὅτι πένης ὢν ἐκ τῶν κοινῶν πεπλούτηκε, καὶ ὅτι ἀναξίως ἔχει τῆς ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως.*

Ex causis igitur his, quas attuli, Cleo Athenienses impediebat, quominus conditiones a Lacedaemoniis propositas acciperent, ad quam recusationem ex Rankii (l. l. p. 378) interpretatione haec Aristophanis verba sunt referenda in Equitt. v. 794: *Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος*

τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας, τὰς πρεσβείας τ' ἀπελαύνεις
ἐκ τῆς πόλεως ῥαθαπυγίζων, αἳ τὰς σπονδὰς προκαλοῦνται.

Incertum quidem est, utrum verum an fictum hominis nomen Aristophanes protulerit, incertum deinde, quis ille Archeptolemus fuerit, utrum filius Hippodami, qui in Equitt.

v. 327 commemoratur, id quod Droysenius in annotatione ad nostrum locum negat; multa sunt falsa allata ad hunc locum interpretandum, sed haec omittens equidem profiteor, Rankii interpretationem mihi laudandam videri hanc: „Ac mihi quidem non dubium esse videtur, quin Aristophanes, ubi Archeptolemum memorat, de prima legatione, quam post Sphacteriam captam et interceptos Lacedaemonios missam esse scimus, loquatur, recteque Palmerius (Exercitt. p. 727) ex hoc loco patere ejus principem legationis Archeptolemum Laconem fuisse censuerit. Ita enim omnia optime cohaerent, Thucydidesque cum Aristophane praeclare consentit. Ut enim Thucydides primam legationem diligenter nobis proponit (IV, 15—22), ceteras, quae mox sequebantur primam, carptim commemorat (IV, 41): eadem ratione primam prae reliquis, ducis nomine non praetermisso, insignem reddidit Aristophanes“.

Pax igitur est rejecta Cleone suadente, recteque Wendtius (l. l. p. 27) contendisse videtur, eodem Cleone suadente ab Atheniensibus classem sexaginta navium, quam Lacedaemonios illis ante pacem tradidisse dixi, nunc, quamquam foedus non pactum sit, redditam non esse. Mox autem Athenienses pacis conditionum recusatarum poenituit, quum et exercitus et classis milites penuria valde urgerentur et Athenienses intelligerent, hieme illis frumentum afferri nullo modo posse, id quod jam aestate difficillimum erat, quum denique Spartiatae in insula Sphacteria inclusi sese non traderent sed iis spes inesse videretur fore ut hieme ex insula aufugere possent. Sic populus iratus in Cleonem invehebatur, quia is auctor illius pacis recusatae fuerat. In prima igitur concione, quae de hac re habebatur, Cleo dixit, nuntios ex Pylo allatos falsos esse legatosque mittendos, qui res accuratissime perspicerent; quum, ut hoc faceret, cum alio quodam a populo ipse crearetur, intellexit se reversum ex illo loco aut veritatem nuntiorum nunc allatorum confirmare debere aut mendacia proferre, quae mox detectum iri elucebat, quam

ob rem populo persuasit, hoc modo tempus opportunum teri, facile esse dixit cum classe bene armata Lacedaemonios in insula Sphacteria inclusos omnes capere, si tantum boni duces rei praeessent, ipsumque hoc perfecturum esse, si praefectus classi esset. Nicias, in quem potissimum his verbis invectus erat, iratus professus est, se munus illi traditurum esse. Quod quum Cleo jocum esse putaret, munus accepit; mox autem, quum Nicias acrius atque vehementius in eum inveheretur, tergiversatus dixit, non sibi munus belli gerendi sed Niciae traditum esse; sed Nicias ejusque socii non desierunt, et populus levis et mutabilis, ut saepe, petiit a Cleone, ut classi Sphacteriam profecturae praeesset. Quum res sic se haberet et Cleo intelligeret, se nullo alio modo liberaturum se esse ab hoc munere, ex infima ignavia ad summam audaciam atque temeritatem transivit et promisit, se aut intra viginti dies Lacedaemonios captos Athenas acturum aut ibi ipsum moriturum esse. Thucydides (IV, 28), qui de hac re accuratius loquitur, haec habet: *τοῖς δὲ Ἀθηναίοις ἐνέπεσε μέν τι καὶ γέλωτος τῇ κουφολογίᾳ αὐτοῦ, ἀσμένοις δ' ὅμως ἐγίγνετο τοῖς σώφροσι τῶν ἀνθρώπων, λογιζομένοις δυοῖν ἀγαθοῖν τοῦ ἑτέρου τεύξεσθαι, ἢ Κλέωνος ἀπαλλαγήσεσθαι, ὃ μᾶλλον ἤλπιζον, ἢ σφαλεῖσι γνώμης Λακεδαιμονίοις σφίσι χειρώσασθαι* [1]. Cleo, quum jam dux creatus esset, Demosthenem, qui virtute et astutia pollebat, collegam sibi sumpsit et ad insulam occupandam profectus est, cujus Demosthenis fortitudine et peritia [2]) ei evenit, ut diebus ne viginti quidem

1) cf. Plut. Nic. c. 7. et Arist. Equitt. v. 1054.

2) cf. Arist. Equitt. v. 392: *κᾆτ' ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι, τἀλλότριον ἀμῶν θέρος.* cf. Bergk., de rel. p. 361, qui putat, versum apud Lucianum: *Πρὸς τὸν εἰπόντα, Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις*, c. 2: *Ὥστε μου ἐνθυμεῖσθαι ἔπεισι, μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λόγοις εἶναι, ὧν ὁ Κωμικὸς τὸν Κλέωνά φησιν, οἶσθα περὶ αὐτοῦ· Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα*, putat igitur hunc versum referendum esse ad Eupolidis fabulam *χρυσοῦν γένος*, et hoc versu poetam acerbe notare Cleonem, qui victoriam a Nicia et Demosthene jam dudum praeparatam sibi vindicaverat.

Lacedaemonios ducentos nonaginta duo, inter quos fere centum viginti nobiliores erant, caperet. Bene Thucydides (IV, 39, 2) hanc Cleonis fortunam secundam sic describit: *τοῦ Κλέωνος, καίπερ μανιώδης οὖσα ἡ ὑπόσχεσις ἀπέβη· ἐντὸς γὰρ εἴκοσιν ἡμερῶν ἤγαγε τοὺς ἄνδρας, ὥσπερ ὑπέστη.* Saepissime Aristophanes Cleonis carpendi causa mentionem facit Pyli, ut in Equitt. v. 742:

ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποδραμὼν τῶν ἐκ Πύλου
πλεύσας ἐκεῖσε, τοὺς Λάκωνας ἤγαγον·

ut in Nubb. v. 185: *τί ἐθαύμασας; τῷ σοι δοκοῦσιν εἰκέναι; —*
τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι, τοῖς Λακωνικοῖς.

ut in Equitt. v. 55: *καὶ πρώην γ᾽ ἐμοῦ*
μᾶζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικήν,
πανουργότατά πως περιδραμὼν ὑφαρπάσας
αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ᾽ ἐμοῦ μεμαγμένην,

quibus verbis Demosthenes Cleonis astutiam in populo adulando describit [1]). Etiam ab aliis comicis Cleonem propter Pylum irrisum esse, jam Bergkius (de rel. p. 361) retulit; dicit enim, ex Eupolidis fabula illa, quae inscribitur *χρυσοῦν γένος*, Hephaestionem (p. 109) fragmentum afferre, quod idem legatur apud Priscianum (p. 1330), qui deinde ita pergat: „Idem *ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν πῶς οὖν οὐκ ἄν τις ὅμιλος χαίροι τοι αἷδε πόλεις ἣν ἔξεστι πάνυ δ᾽ ἐν τῷ κακῷ γε τὴν ἰδέαν*«. Putat deinde, utrumque fragmentum in unum conjungendum et ita scribendum esse:

Ὦ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ,
ὡς εὐδαίμων πρότερον γ᾽ ἦσθα, νῦν δὲ μᾶλλον ἔσει,
εἰ δεῖ πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν.
Πῶς οὖν οὐκ ἄν τις ὁμιλῶν χαίροι τοιᾷδε πόλει,
ἵν᾽ ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδέαν.

Quam fabulam illo tempore esse scriptam, quo Cleonis potentia summa fuit, i. e. non multo post expugnatam Pylum, recte contendit Bergkius [2]), id quod jam ex eo

1) cf. Equitt. v. 355, 702, 742, 846, 1201. Pac. v. 638.
2) cf. Meineke, fragm. com. graec. Bd. I, p. 145 et Bd. II, p. 535.

elucet, quod Eupolis Aristophanis fabulam Equites imitatus esse traditur. Ad eandem Eupolidis fabulam pertinere jam Bergkius et Fritzschius demonstrarunt hoc fragmentum, quod legitur apud Moeridem (p. 417): *Χαίρειν ἐν ἐπιστολῇ πρῶτος λέγεται γράψαι Κλέων Ἀθηναίοις μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν Πύλον. Ἔνθεν καὶ τὸν Κωμικὸν ἐπισκώπτοντα εἰπεῖν·*

Πρῶτος γὰρ ἡμᾶς, ὦ Κλέων,
χαίρειν προσεῖπας, πολλὰ λυπῶν τὴν πόλιν.

Eadem affert schol. ad Arist. Plut. v. 322, dum schol. ad Nubb. v. 609 hanc narrationem falsam esse dicit, quia jam antiquitus Graeci hac formula *χαίρειν* utebantur; sed in hac re verum atque rectum Fritzschius [1]) invenisse videtur, qui postquam hos versus re vera ab Eupolide compositos esse ostendit, quamquam Suidas eos Eubulo, mediae comoediae poetae, tribuit, ex Luciani salut. c. 3. his verbis: *ἐν ἐπιστολῆς δὲ ἀρχῇ Κλέων ὁ Ἀθηναίων δημαγωγὸς ἀπὸ Σφακτηρίας πρῶτον χαίρειν προὔθηκεν, εὐαγγελιζόμενος τὴν ἐκεῖθεν καὶ τὴν τῶν Σπαρτιατῶν ἅλωσιν. καὶ ὅμως γε μετ' ἐκεῖνον ὁ Νικίας ἀπὸ Σικελίας ἀποστέλλων ἐν τῷ ἀρχαίῳ τῶν ἐπιστολῶν διέμεινεν, ἀπ' αὐτῶν ἀρξάμενος τῶν πραγμάτων,* recte, ut puto, conclusit, hoc loco Cleonem Niciae opponi imperatorem imperatori, ut eluceat, haec verba a Graecis quidem multo ante Peloponnesiaci belli tempus in salutando adhibita, numquam autem ante Cleonem imperatores Atheniensium in litteris publice ad populum datis iis usos esse.

Propter hanc de Lacedaemoniis victoriam reportatam summa quaeque in civitate Cleoni sunt importata, nimirum proedria, cf. Equitt. v. 702 (cf. v. 575 et 1403):

ἀπολῶ σε νὴ τὴν προεδρίαν τὴν ἐκ Πύλου,

praeterea in prytaneo publico sumptu alebatur, cf. Equitt. v. 280 (cf. v. 709, 766):

ναὶ μὰ Δία, κἄγωγε τοῦτον, ὅτι κενῇ τῇ κοιλίᾳ
ἐςδραμὼν ἐς τὸ πρυτανεῖον εἶτα πάλιν ἐκθεῖ πλέᾳ,

---

1) Fritzschius in dissert. de fabulis retractatis II, p. 9.

denique vectigalium publicorum diaconus creatus est [1]), qualis magnum annulum portabat, id quod elucet ex Equitt. v. 946:

σὺ δ', ὦ Παφλαγών, φάσκων φιλεῖν μ' ἐσκορόδισας.
καὶ νῦν ἀπόδος τὸν δακτύλιον, ὡς οὐκ ἔτι
ἐμοὶ ταμιεύσεις.

Droysenius et Roscherus in describendo hoc munere ita consentiunt, ut paene iisdem verbis utantur; ambo enim contendunt, hoc munus post quartum quemque annum tradi solere et quidem tertii olympiadis anni hieme ineunte, ita ut Cleo eo fungi auctumno anni 426 coepisset. Uterque deinde narrat Cleonem, ut hoc munere posset fungi, primo ordini annumerari debuisse, quamquam antea in secundo ordine erat, ita ut jam ex hac re eluceat, Cleonem minus justis artibus usum esse ad pecuniam suam augendam, quod factum esse ne Droysenius quidem negat; habet enim haec: Schon seine bisherige Demagogie mochte ihm einträglich gewesen sein; jetzt hatte er noch mehr Gelegenheit, auch ausser seinem Lederhandel zu verdienen; und er war Athener genug, die Gelegenheit zu benutzen; sein Vermögen vermehrte sich bis auf funfzig Talente.

Ex insula Sphacteria Cleo, ut supra jam dixi, multos nobilissimos Lacedaemonios secum Athenas duxerat, ita ut valde afflicti essent hoc casu Lacedaemonii, tum bellum iis erat gerendum contra Messenios, qui Pylum ceperant ibique magna cum vi sese defendebant, praeterea merito timere debebant, ne Helotes quoque, ut mos iis erat, denuo impetum facerent; accessit, quod Nicias insulam Cytheram occupaverat, ita ut Atheniensibus liceret, Lacedaemoniis mercaturam cum Aegypto et Libya eripere atque oras Peloponnesi vastare. Quibus omnibus causis moti legatos Athenas miserunt Lacedaemonii, qui opportunissimas conditiones foederi pangendo praeberent; sed Cleo, cujus su-

1) cf. Droysen, l. l. Bd. II, p. 291. Roscher, l. l. p. 417. Koch, praef. ad Arist. Equitt. p. 22 et annotat. ad Equitt. v. 947.

perbia post res feliciter apud Pylum gestas ad summum fastigium creverat, impedivit, quominus cives conditiones acciperent, id quod elucet ex Pace (v. 665), ubi Hermes Trygaeo narrat, quam ob rem dea Pax Atheniensibus irascatur:

ἐλθοῦσά φησιν αὐτομάτη μετὰ τἀν Πύλῳ
σπονδῶν φέρουσα τῇ πόλει κίστην πλέαν
ἀποχειροτονηθῆναι τρὶς ἐν τἠκκλησίᾳ·

quibus verbis Trygaeus respondet:

ἡμάρτομεν ταῦτ'. ἀλλὰ συγγνώμην ἔχε·
ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκύτεσιν.

Hoc modo saepius Lacedaemoniorum acceptissimae conditiones rejiciebantur, donec multae graviores res accidebant, quibus moti sunt Athenienses, inducias inire. Athenienses enim Megaram occupare, democratiam per Boeotiam propagare eoque modo totam terram suae ditioni subjicere cupierunt, sed cladem apud Delium ceperunt. Gravius autem momentum fuit iis, quod Lacedaemoniorum dux Brasidas eloquentia et humanitate sua plurimas urbes in Thracia sibi subjecit, quo modo factum est, ut a. 423 inducias annuas inirent, quarum auctor Laches fuerat (Thucyd. IV, 118. V, 43), ea conditione, ut et Athenienses et Lacedaemonii retinerent, quae in bello uterque occupasset. Vix autem induciae factae sunt, Sciona urbs ab Atheniensibus descivit et a Brasida recepta est; quod quum Athenienses accepissent, poscebant, ut urbs sibi redderetur. Quod quum Brasidas recusaret et Lacedaemonii responderent, rem ad judices referendam esse, Athenienses denuo bellum inceperunt, et Cleo plebisciti auctor factus est, ut Sciona deleretur et incolae aut interficerentur aut servi redderentur. Magis magisque Athenienses Brasidae irascebantur, quia etiam Menda urbs ejus suasu ab Atheniensibus descivit, ita ut Nicias et Nicostratus duces classis contra has urbes mitterentur; moxque evenit iis, ut Mendam occuparent. Diutius in Sciona oppugnanda morabantur, ut Cleo, qui propter victoriam de Pylo reportatam suae virtuti atque fortitudini fidem habuisse videtur,

cum triginta navibus et praeter socios cum hoplitis mille ducentis et equitibus trecentis (Thuc. V, 2) in Thraciam expeditionem faceret. Initio fortuna secunda ei favit; nam Toronam, quam Ol. 89, 1 Brasidas ceperat, anno sequenti in potestatem suam redegit, deinde etiam Eionem et Galepsum, quae urbs Ol. 89, 1 ab Atheniensibus desciverat. Qua de urbe Galepso Eupolis in fabula *χρυσοῦν γένος* loquitur [1]; Hesychius enim ad verbum *Γαληψός* haec addidit: *παίζει μὲν Εὔπολις παρὰ τὸ λαμβάνειν*, quod ad Cleonem spectare, qui et argento se corrumpi passus est et Galepsum Atheniensibus subjecit, facile intelligitur. Deinde contra Amphipolin profectus est, sed milites Cleonem non alacres, ut debebant, secuti sunt propter ejus imperitiam et ignaviam, id quod Thucydides (V, 7) bene sic describit: *τῶν γὰρ στρατιωτῶν ἀχθομένων μὲν τῇ ἕδρᾳ, ἀναλογιζομένων δὲ τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο καὶ οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον*, quibus verbis comparanda esse videntur, quae Aristophanes in Equitt. v. 1055 loquitur:

Κεκροπίδη κακόβουλε, τί τοῦθ' ἡγεῖ μέγα τοὔργον,
καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη·
ἀλλ' οὐκ ἂν μαχέσαιτο· χέσαιτο γάρ, εἰ μαχέσαιτο.

Cleo tumulum ante urbis portas occupavit, et quum hostes neque ante urbem neque in urbe ipsa conspiceret, sperans fore ut eadem qua apud Pylum fortuna secunda utens facillime urbem expugnaret, impetum facere milites jussit. Vix autem hoc factum est, ex insidiis hostes multi se proripuerunt, qua re perculsus Cleo magno cum timore signum receptui dari jussit, sed Brasidas aciem jam diruperat, et quamquam dextrum cornu, cui Cleo dux praeerat, etiam resistebat, tamen Cleo primus omnium erat, qui fugam capesseret, sed mox a Myrcinio, peltasto quodam, occisus est. Etiam Brasidas in hac pugna vulneratus

---

1) cf. Meineke l. l. Bd. II, p. 571 et Fritzsche, quaest. Arist. p. 145 not.

mox de vita decessit, postquam, ut Diodorus Siculus (XII, c. 74) narrat, valde excelluit et multos fortiter occidit. Unum est, quod leviter tangendum mihi est [1]; Fritzschius enim (quaest. Aristoph. p. 308) contendit, Cleonem inde ab Equitum tempore in contemtionem Atheniensium adductum nihil memoria dignum efficere potuisse, et deinde, Cleonem se cum parva manu in agrum Amphipoleos proripuisse. Non autem intelligo, quam ob causam Fritzschius consulto exercitum, quem Cleo Athenis secum duxerat, parvum fuisse contendat; nulla idonea causa videtur esse, nam Thucydidem accurate ejus numerum memoriae prodidisse jam supra attuli, idemque Thucydides (V, 8) narrat, Atheniensium copias tantas fuisse, ut Brasidas non ausus esset, aperto campo cum illis concurrere, sed praetulisset, astu contra Athenienses agere.

De tempore obitus Cleonis magna est dissensio praecipue inter veteres; scholiastes enim Luciani Tim., c. 30 *ἐτελεύτα,* ait, *Κλέων νικηθεὶς ὑπὸ Βρασίδου ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου;* schol. autem ad Arist. verba in Nub. 549:

ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων᾽ ἔπαισ᾽ εἰς τὴν γαστέρα

haec addit: *ὥσπερ ζῶντος αὐτοῦ διαλέγεται ἐν οἷς φησὶ, Κλέωνα τὸν λάρον· καὶ Ἀνδρωτίων δέ φησιν, αὐτὸν ἐπὶ Ἀλκαίου τεθνάναι δυσὶν ὕστερον ἔτεσιν.* Ad v. 552 schol. narrat, Cleonem mortuum esse Aminia archonte, ante quem Isarchus archon fuerat, quo archonte fabula Nubes docta est, Androtion autem refert, Alcaeo archonte, qui Aminiae successit, Cleonem mortuum esse duobus annis post Nubes doctas. In Nubibus (v. 553) deinde etiam Eupolidis Maricantis mentio fit, in qua de Cleonis morte agi constat ex schol. ad Nubes: *ἐν τῷ Μαρικᾷ προτετελεύτηκε Κλέων,* quo nuntio falso schol. ad v. 549 usus est eo, quod dicit, Cleonis mortem ab Eupolide temere fictam esse. Cleonem autem ante fabulam Pacem doctam mortuum fuisse, elucet ex fabulae ipsius his versibus (v. 269):

---

1) cf. C. Fr. Hermannum in indice lect. Marb. 1842. p. VII.

ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος,
ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα

deinde ad Pacis v. 48 schol. dicit: Ἐρατοσθένης ἐπὶ Θρᾴκης τὸν θάνατον Βρασίδου καὶ Κλέωνος ὀκτὼ μησὶ προγεγονέναι φησίν. Fabulam autem Pacem doctam esse Alcaeo archonte, intelligitur ex argumento primo ad hanc fabulam, et Fritzschius (de fabb. retract. II, p. 5 not. 5) recte, ut puto, hanc rem ita disposuit. „Pax data est Ol. 89, 3 Alcaeo archonte Dionysiis, id est Elaphebolione. Ergo periit Cleo ejusdem anni mense Hecatombaeone vel primo Metagitnione, quum magistratum ab Aminia depositum Alcaeus modo inisset. Hinc facile et intelligi et excusari potest schol. ad Nubb. v. 549: ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου atque schol. ad Luc. Timonem c. 30."

Priusquam autem ad alias quaestiones transeam, non ineptum mihi esse videtur, de Thucydide ejusque de Cleone judicio pauca addere, praecipue quum in vita Cleonis describenda Thucydidem maxime secutus sim. Ex communi autem omnium sententia Thucydides prae ceteris auctoribus judicio sublimi excellit, quod, ut de rebus gestis, ita de singulis hominibus eorumque vita et moribus latum, inter praecipuas est ejus historiae virtutes. Nemo enim tam praeclare in vituperando et in laudando modum tenuit, nemo, quid ipse probet, quid improbet, tam juste tamque prudenter exhibuit, nemo ab omnium partium studio tam liber fuit. Genere licet Atheniensis, nusquam iram odiumque in Lacedaemonios prae se tulit; ab Atheniensibus licet expulsus esset, nusquam in cives suos invidiam ostendit: in rebus utriusque gentis enarrandis semper sobrius judex nihil eximii occultavit, nihil mali extulit. Quare si quem laudavit, hanc laudem omnium vox communis sapientium maximi fecit, si vituperavit, aeterna reprehenso nota inusta inhaesit. Haec de Thucydidis historici virtute Rankius (l. l. p. 383) scripsit, neque dubito ei prorsus atque omnino assentiri. Similia praebet Marcellinus (Vit. Thucyd. §. 26. ed. Krüger): ἔγραφε δ' οὐδ'

οὕτως μνησικακῶν τοῖς Ἀθηναίοις ἀλλὰ φιλαλήθης ὢν καὶ τὰ ἤθη μέτριος, εἴ γε οὔτε Κλέων παρ᾽ αὐτῷ οὔτε Βράσιδας ὁ τῆς συμφορᾶς αἴτιος ἀπέλαυσε λοιδορίας, ὡς ἂν τοῦ συγγραφέως ὀργιζομένου. Quum autem constet, hanc Thucydidis vitam non ab uno scriptore sed a multis compositam esse, non mirari debemus, quod ibidem illi sententiae haec opponitur: *ἰστέον δὲ ὅτι στρατηγήσας ὁ Θουκυδίδης ἐν Ἀμφιπόλει καὶ δόξας ἐκεῖ βραδέως ἀφικέσθαι καὶ προλαβόντος αὐτὸν τοῦ Βρασίδου ἐφυγαδεύθη ὑπ᾽ Ἀθηναίων, διαβάλλοντος αὐτὸν τοῦ Κλέωνος, διὸ καὶ ἀπεχθάνεται τῷ Κλέωνι· καὶ ὡς μεμηνότα αὐτὸν εἰσάγει πανταχοῦ.* Etiam Aristophanes quidem narrat, a Cleone duces, si res non feliciter gessissent, in crimen vocatos esse, ut in Equitt. v. 354:

ἐμοὶ γὰρ ἀντέθηκας ἀνθρώπων τίν᾽; ὅστις εὐθὺς
θύννεια θερμὰ καταφαγὼν κᾆτ᾽ ἐπιπιὼν ἀκράτου
οἴνου χόα κασαλβάσω τοὺς ἐν Πύλῳ στρατηγούς,

ut deinde in eadem fabula (v. 288), ubi Aristophanes Cleonem haec loquentem facit: *διαβαλῶ σ᾽, ἐὰν στρατηγῇς* quomodo facile fieri potuit, ut Cleo Thucydidem quoque accusaverit propter Amphipolin amissam; sed nullo modo eam fidem Marcellini verbis tribuendam puto, ut credam, Thucydidem propter hanc accusationem et poenam Cleoni maledixisse, quum Athenienses numquam vituperet, nisi recte sese res habet, quum praesertim opus suum *κτῆμα ἐς ἀεὶ* esse voluerit. Accedit deinde, quod idem auctor paullo post (§. 50) Thucydidem laudat propter virtutis amorem, propter virtutem in moribus depingendis, propter multa alia. Accedit denique, quod nullus ex sequentibus historicis ausus est, Cleonem defendere et a maculis, quas Thucydides ei inussit, liberare, ita ut eluceat, immodestiam et temeritatem Cleonis ab omnibus esse perstrictam. Attamen Droysenius (Bd. II, p. 282) putat, ex hoc omnium scriptorum consensu nihil demonstrari posse, elucere enim, omnes Aristophanis jocos et maledicentiam secutos esse, quibus eodem modo Pericles, Socrates, Euripides, multi alii vexati sint. Putat vir doctissimus, nihil quidem esse,

quo Cleo contra maledicta defendi possit, non autem parvi momenti esse, illum per septem annos reipublicae praefuisse, populare imperium defendisse atque auxisse, eum in hetaerias, sophistas, optimates invectum esse, eum praesertim contra pacem cum Lacedaemoniis pugnasse: haec omnia talia esse, quae ostendant, Cleonem leges suas semper secutum esse, quae deinde eum defendere possint contra Aristophanis jocos. Nihil contra haec Droysenii verba proferam, quia certe Aristophanes non omnes res ita ut re vera fuerunt, narravit, quia hoc comoediae non est; sed quae Droysenius contra Thucydidem ejusque veritatis amorem vel potius contra fidem ei habendam profert, vituperanda mihi esse videntur. Putat enim vir celeberrimus, a Thucydide, si comparentur cum iis quae antea tam modice narravit ea ipsa, quae ultimum de Cleone loquatur, tam acerbe atque tam contemptim prolata esse, ut certe nos ejus judicio sine cautione quadam uti non possimus: sed, nisi fallor, Thucydidi in toto suo opere nusquam res gestas talis viri enarrare licuit, qualem nobis Cleo sese praebet. Thucydides, deinde ait Droysenius, nobilibus atque optimatibus annumerabatur, propter res ad Amphipolim non bene gestas Cleone suadente punitus atque solum mutare coactus erat; quae bello, quod a. 422 a Cleone gestum est, quae praecipue in pugna ad Amphipolin facta sint, non ipse vidit, sed memoriae ea prodere non potuit, nisi ea ex hominibus, qui ipsi ea experti sunt, quaesivit; atque hae, quibus motus Thucydides de Cleone tam maligne scripsit, res sunt, quae facillime in pejus mutari possunt. Jam autem Droysenius ad summam argumenti sui pervenit; putat enim, duo tantum hominum genera fuisse, quos Thucydides de rebus gestis interrogare potuerit, aut enim Spartanos fuisse, qui certe Cleonem, quia Pylum ceperat, quia captivos Athenas missos tam crudeliter tractaverat, ex intimo pectore odissent, aut Athenienses, quibuscum auctor ex patria pulsus versatus, qui Cleonem, quia populum corrumpebat, quia divites accusabat, quia bellum optimatibus propter leiturgias valde molestum denuo inflammaverat, contemnerent. In quo quidem argumento Droysenius valde errasse mihi videtur; nam Thucydidem, postquam Athenis ejectus est, in Thracia, ubi praedium ei erat, vixisse ibique historiam belli peloponnesiaci composuisse, constat; nonne fieri potuit, ut ibi et Athenienses et Lacedaemonios percontaretur

atque omnes res gestas quam accuratissime et verissime cognoscere studeret, quae ei in animo reputandae erant, si bellum describere recte atque bene voluit? Valde autem miror, quod Droysenius denique putat, difficile esse, justitiae summae in judicando fidem facere viri, qui judicium ferat de virtute adversarii in republica administranda, nullo enim modo fieri posse putat, quin talis vir etiamsi de adversario nihil nisi verum relaturus contemnat adversarii causas atque rationes.

Grotii autem, qui simili quo Droysenius modo Cleonem contra Aristophanem defendit, omnes causas atque rationes perspicere atque refutare mihi non licuit, satis igitur sit, Schoemanni [1]) de hac Grotii sententia judicium addere hoc: Ein grosser Theil der Vorwürfe gegen die Demokratie Athens (bemerkt Grote) beruht übrigens nur auf der Autorität Aristophanischer Stellen, die unmöglich als glaubwürdige Zeugnisse gelten können, wo es auf Ermittlung geschichtlicher Wahrheit ankommt. Und allerdings Aristophanes ist ein Caricaturmaler, der seine Gestalten auf seine Weise idealisirt d. h. über die Wirklichkeit hinaus ins Hässliche und Lächerliche verzerrt, aber ein geschickter Caricaturmaler muss doch seine Sache so zu machen verstehen, dass man das Original trotz der Verzerrungen erkennen kann und anders hat es auch Aristophanes nicht gemacht. Herr Grote idealisirt auch wol ein wenig, natürlich nach der entgegengesetzten Seite. Selbst einem Cleon, den Keiner noch gelobt hat, weiss er ein ganz leidliches, ja beifallswerthes Ansehen zu geben, mit grösserer Geschicklichkeit, als einst Isokrates seinem illaudatus Busiris.

Valde doleo, quod mihi propter causas, quas omnes enumerare longum est, jam non licet etiam alteram partem edere, in qua de Cleone, qualem praecipue ex Aristophanis fabulis cognoscimus, de ejus certamine cum equitibus Atticis et Aristophane ipso scripsi; spero autem fore ut mox mihi occasione oblata de omnibus his quaestionibus una disserere liceat.

---

1) cf. Verfassungsgeschichte Athens p. 97.
